

**ANTONIO BARTONĚK
ARTIS GRAMMATICAE
AESTIMATORI DOCTISSIMO**

Commentationes, quae in hoc fasciculo apparent, viro doctissimo, structurae legibusque linguae Graecae necnon et Graecitatis illius, quam apud Mycenenses olim in usu fuisse suspicamur, scrutatori indefesso, professori Antonio Bartoněk annos iam LXXV implenti collegae, amici, discipulique eius attulerunt, nam professoris – et familiaris et magistri nostri – gloria atque fama non solum in nobis civibus eius, verum etiam in permultis hominibus doctis extra fines Bohemiae et Moraviae artes et disciplinas colentibus vivens viget.

Causa famae huius toto fere orbe magistrorum scholariumque philologiae classicae faventibus extensae primo et praecipue in studiis professoris Bartoněk ad linguam Graecam spectantibus quaerenda est, quamvis opuscula eius, quae ad systema linguae grammaticaeque Latinae cognoscendum multum attulerunt, praeterire minime liceat. Professor in Universitate Masarykiana Brunensi discipulos in utraque lingua antiquitatis classicae quam plurimos qui eo duce arti philologicae se tradiderunt non solum doctissime ac humanissime educavit, sed etiam subsidium utilissimum ad linguam Latinam a scholaribus facultatis philosophicae ediscendam, librum videlicet institutorium multis iam scholarium generationibus versatum felicissime conscripsit, et usque ad hodiernum diem indefesse quaerit optimum lectionum atque materiae ordinem seu rationem meliorem, qua educatio philologica fieri debeat. Unde alter ille Donatus etiam de Latinitate in gymnasiis Bohemicis bene meritus est, immo principiis gymnasii „classici“ dicti in civitate Brunensi nuper denuo fundati tam fideliter quam utiliter astitit.

Age nunc ad Antonium Bartoněk linguae Graecae sospitorem redeamus, qui in honore toti orbi litterato est quippe qui Graecitatem Mycenaeam necnon et dialectos Graecorum diversas cum generibus earum omnibus optime investiget, quorum studiorum gratia potitus est etiam lite illa et quaestione inter viros doctos iam diu versante, „Homerica“ scilicet (ut ita dicam). Quae omnia simul cum materiis aliis, quas libri et commentationes eius fere innumerae tractant, ex elencho operum professoris nostri lector benivole comperire potes. Scito studia haec una cum auctore suo doctissimo nullo modo finibus solis patriae nostrae Bohemicae et Moravicae (vel si vis etiam Slovacae) contineri, sed in universitatibus aliisque institutis academicis diversarum partium Europae et Americae

Septemtrionalis bene notas et honoratas esse, unde sibi collega noster non solum famam et gloriam, verum etiam multas amicitias peperit – quod cuique lectori fasciculi huius evidentissime patet.

Est enim professor Antonius Bartoněk, cuius annum et diem natalem celebramus, vir doctissimus, collega dulcissimus, magister et gravissimus et clementissimus, et ut breviter dicam amabilis homo benivolus. Pro humanitate, benignitate, ingenii sui bonitate, pro amicitiiis, quas nobis iam tot annorum curriculis praestare dignabatur, gratias ei agimus quam plurimas –

nos amici, collegae, discipulique eius.